

Il manualetto delle *Operette spirituali*, che suscitò vaste simpatie in ogni categoria di persone, venne a sostituire il *Cristiano provveduto*. S. Alfonso, vistone il successo considerevole, s'industriò di renderlo più proficuo.

Marginalmente facciamo notare ch'egli nel 1757 pubblicò un opuscolo intitolato: *Il sacerdote provveduto*, del quale tra il 1760 e il 1773 vennero tirate altre quattro edizioni a Napoli e a Venezia. Non è esagerato supporre che l'autore dopo il 1750 preferì adoperare « provveduto » solamente per questo scritto dedicato ai sacerdoti.

Comunque stiano le cose, S. Alfonso non nominò il *Cristiano provveduto* nella lista delle proprie Opere Ascetiche annessa nel 1758 all'*Apparecchio alla morte*, e neppure lo recensì in quella più dettagliata posta in fine dei *Discorsi sacri morali* riediti nel 1772 dal Remondini. Al contrario incluse nella rassegna le *Massime eterne* e la *Via del Paradiso*, celebrate nel 1787 dal P. Blasucci (10).

Un simile agire ha il suo significato: il Santo riputò superfluo ricordare l'opuscolo del *Cristiano provveduto*, da anni esaurito e che d'altronde non aveva l'intenzione di ristampare ulteriormente.

#### IOSEPHUS LÖW

#### DE RECTA SCRIPTURA VOCABULI « TSCHUPRU »

Vocabulum « Tschupru » nomen est loci, in confoederatione helvetica siti, pressius in « Canton Fribourg », ubi Nostri per aliquot annos Collegium habebant, et quod in variis fontibus et libris diverso scribitur modo. Quaeritur ergo, quomodo hoc vocabulum recte scribatur.

Tschupru habitatio ad interim erat, intermedia inter Collegium Valsainte (1811-1826) et Collegium in ipsa civitate Fribourg (1827-1847). Non est hic locus texendi historiam Collegii de Tschupru; sufficiant indicationes summariae.

1824, IV: PP. nostri ius emendi domum cum rure in loco Tschupru sitam sibi compararunt, sedes enim in Valsainte magis magisque incommoda inventa est, propter extremam solitudinem, aëris rigorem et difficultates itinerum ad loca laborum apostolicorum.

1824, 18 et 23 V: Magnus senatus (Großrat) terrae Fribourg permisit PP. nostris, residentiam in Valsainte cum nova sede Tschupru commutare.

1825, 19 I: Pacta emptionis domus ac fundi in Tschupru conclusa sunt.

1825, dominica 28 VIII: P. Czech benedixit parvum oratorium, in honorem B. Mariae Virginis immaculatae, quod in domo aptatum fuit, et sic Collegium Tschupru inauguravit.

1826, III: In consultatione, habita in Collegio Bischenberg, P. Springer, visitator nomine Vicarii generalis Passerat, ordinavit suppressionem Col-

(10) [P.P. BLASUCCI], *Orazione recitata nella chiesa cattedrale di Girgenti ne' solenni funerali di Mons. D. Alfonso M. de Liguori*, s.a e l., p. 67, 68.

legii Tschupru ea ratione, ut, Helvetiâ ob continuas migrationes sedium nostrorum sine certa spe stabilitatis derelictâ, Collegium potius Bischenberg, domus Drei Ähren, et fundatio in oppido Hagenau, quae tunc magnam videbantur offerre stabilitatis et ulterioris expansionis spem, confirmarentur.

1826, 17 VII: Vicarius generalis Passerat, visitationis canonicae causa, in Collegium Tschupru advenit. Dum visitat Collegium Bischenberg, magna exorta est persecutio contra Nostros in Alsatia, adeoque vehementer, ut ipse Vicarius aliique sodales confestim e Collegio Bischenberg recedere, ac in Helvetia (Tschupru) refugium quaerere cogerentur. Ita factum est ut, revocato ordine suppressionis, Tschupru iterum in plenum Collegium erigeretur et mox incolis rigurgitaret.

1826, 25 VII: Ultimi nostri e Valsainte recesserunt; finis illius Collegii.

1828, 24 VIII: Pacta emptionis prisci Seminarii cum adiecta domo in civitate Fribourg.

1828, VIII-IX: P. Vicarius generalis iterum in Tschupru, visitationis canonicae causa; ipse direxit transmigrationem a Tschupru in novum Collegium civitatis Fribourg.

Domus ac fundus in Tschupru proximis annis divenditus est.  
Haec pauca de historia Collegii Tschupru (1).

Transeamus nunc ad scripturam nominis « Tschupru ».

Hoc nomen primum recurrit in epistulis P.is Czech, Rectoris Collegii (AG X A), ad Rectorem Maiorem P.em Cöcle (nn. 22, 23, 26, 28) aut eius secretarium, P. Sabelli (nn. 25, 27), aut ad P.em Vicarium generalem Passerat (n. 24). Habemus ergo septem epistulas (nn. 22-28), cum triformi eiusdem nominis scriptura: n. 22 (28 VIII 1826) n. 23 (2 II 1827), n. 25 (28 VII 1827), n. 27 (14 III 1828), ubi legimus *Tschuperu*. In epistula n. 24 (13 VII 1827) et n. 28 (14 III 1828) invenimus scripturam *Tschouperou*. In epistula demum n. 26 (13 X 1827) habemus formam *Tschouperu*. P. Sabelli, secretarius P.is Generalis, qui litteras PP.um transalpinorum in italium idioma convertit, in epistula n. 25 vocabulum Tschuperu male reddidit, scribens *Tschuprun*; et in alia epistula n. 27 idem nomen Tschuperu transformat in *Tschupern*. Notandum est, omnes epistulas supra dictas a P.e Czech ex ipso Collegio Tschupru datas fuisse.

Vicarius generalis ex parte sua bis (in epistulis ad Rectorem Maiorem) nomen Collegii nostri expresse nominat (AG Epistulae P.is Passerat I), videlicet in litteris die 26 VIII 1826 e Collegio Tschupru datis, ubi vocabulum *Tschuperu* adhibet, et in epistula ex urbe Wien missa, de die 24 X 1828, ubi forma *Tschouperou* utitur.

Post multos annos P. Czech, scriptori nostro P.i Desurmont notitias de P.e Passerat transmittendo, vocabulum, de quo agimus, magis ad modum linguae francogallicae scripsit: *Tschoupérou* (cum nota sonus supra litteram « e ») (2).

(1) AG X A (epistulae variae). - Epistulae P.is Passerat I. - KUNIZ XIX 238, 331, 338-443, 399-402; XX 22-23.

*Mon.Hofb.* XV 54, 75, 79. - TH. LANDWING, *Die Redemptoristen in Freiburg in der Schweiz, 1811-1847* (= *Bibl. hist. CSSR II*), Roma 1955, Register 149: Tschupru.

(2) *Mon.Hofb.* XV 54, epistula de die 24 XI 1850 Landser, ad P.em Desurmont.

Alius Collegii Tschupru olim incola, P. Sebastianus Heberle, eodem an. 1850 in suis memoriis nomen habet *Tschouperou* (3).

RP. Van Rijckevorsel, qui Catalogum CSSR transalpinum composuit(4), p. 15 Collegium habet sub vocabulo *Tschouperon*, quae scriptura errorem prodit in legendo nomine, manu scripto (5).

In opere anonymo *Dictionnaire géographique, historique et commercial du Canton de Fribourg* (Fribourg, imprimerie du Chroniqueur Suisse, 1886) locus noster invenitur in tabula rerum (Index 414) sub vocabulo *Tschouprou*, ubi relegatur ad p. 273, sed eheu! nec in hac nec in vicinioribus paginis hic locus continetur, nec sub voce maiorum pagorum, quibus propinquitatis causa modestus ille locus Tschupru subiectus esse posset.

G. Corpataux, tabulariorum urbis Fribourg administer, in magno illo opere *Historisch Biographisches Lexikon der Schweiz*, vol. VII (Neuenburg 1934) p. 86 sub voce *Tschupru* inter alia haec habet quae ad antiquiorem formam nominis loci pertinent: in documentis occurrit forma *Chyelperon* an. 1278, *Cipron* an. 1373, *Tschipprun* an. 1434, *Chipperout* an. 1443. Praevalebat, uti facile videtur, pronuntiatio primae syllabae cum sonu vicino ad « i », ita ut moderna scriptio recentissimae tabulae geographicae « Tschüpru » non sine fundamento facta esse videatur.

Auctor notarum circa locum Tschupru, supra allegatus, de nostris quoque agit, quos « Ligoristenmönche » vocat; dicit, nos castellum antiquum emisse an. 1824 e vendidisse an. 1839 cuidam Tobia Nicolao Fivaz; an. tandem 1906 castellum transivisse in possessionem « communis » (Gemeinde) pagi Sankt Sylvester, cui locus Tschupru politice adnectus est. Aedificium adhibebatur ad usum scholae publicae.

RP. De Meulemeester in opere suo *Histoire sommaire de la Congrégation du T.S. Rédempteur* (Louvain 1950) p. 103 suam fecit scripturam *Tchouperou*.

RP. Landtwing, ipse cives Helveticae Confoederationis, imo ex antiquissima familia urbis Zug, in rebus helveticis bene versatus, in amplo suo opere *Die Redemptoristen in Freiburg in der Schweiz, 1811-1847* (vide supra nota 1) usurpavit formam *Tschupru* (6), quam formam nobis interrogantibus tamquam optimam commendavit (7).

Novissime, seu eodem an. 1955, quo liber P.is Landtwing, in lucem edita est tabula geographica, regionem illam continens, qua accuratissime delineantur minimae quoque partes (8); hac in tabula invenimus scripturam *Tschüpru*.

(3) *Mon.Hofb.* XV 74.

(4) Vide *Spic. hist.* 4(1956) 204, nota 1.

(5) Errat quoque indicans diem aperiitionis domus 24 VI 1826, dum constat P.em Rectorem Czech initium dedisse vitae regularis die 28 VIII 1825.

(6) Videas Indicem operis et multa loca ibidem allegata.

(7) Epistula P.is Landtwing, Matran 20 XI 1956, ad P.em Löw, Roma.

(8) Carte nationale de la Suisse, Landeskarte der Schweiz, 1:25000, feuille, Blatt 1205 « Rossens » (Service topographique fédéral, Eidgenössische Landestopographie, Wabern, Bern, 1955).

Domus olim nostra clare designata est; ea est, quae invenitur supra numerum medium quo altitudo loci indicatur (788 m).

Enumeratis itaque variis scripturis loci, de quo agimus, videndum est, qualis sit forma recta seu saltem « officialis ».

Repetimus variationes scripturae:

a) forma « u (ou) - e - u (ou) »

Tschouperou  
Tchouperou  
Tschoupérou  
Tchouperu  
Tschuperu

b) forma « u (ou) - u (ou) »

Tschouprou  
Tschupru  
(Tschüpru)

c) formae certo falsae:

Tschouperon  
Tschupern  
Tschuprun

Scripturae, sub littera c) positae, ex errata lectione ultimae litterae nominis, « u », proveniunt, et quidem ex lectione cuiusdam manuscripti, et insuper in homine, regionis et nominis ignaro.

Scripturae, sub litteris a) et b) collectae, eandem produnt radicem, sed differunt tantum secundum modum aut francogallicum aut germanicum pronuntiandi et scribendi; *ou* et *tch* francogallicum redditur *u* et *tsch* germanico; *e* pronuntiebatur plus minusve clare, et consequenter aut scriptura expressum est, vel etiam sonu notatum, vel omissum.

Hoc enim memoria tenendum est, locum Tschupru situm esse sub linea divisionis inter regionem linguae francogallicae et linguae germanicae, quae linea, ut naturale est, non adeo defixa est ac immobilis, ut non interdum elementum aut francogallicum aut germanicum magis praevaleat. Ideo pronuntiatio eiusdem nominis iuxta linguam utentium varias assumebat (et adhuc assumit) formas. Sic, ex.g., forma novissima tabulae geographicae an 1955: *Tschüpru*, explicari potest ex eo, quod habitatores vicini francogallici primum « u », modo germanico scriptum, secundum usum linguae francogallicae tamquam « ü » germanicum pronunciant. Tempore quo Collegium nostrum existebat, regio circa locum Tschupru ad linguam germanicam pertinebat, et haec ratio quoque quaedam erat, quo PP. nostri in has potius partes allieiebantur, dum in Valsainte lingua francogallica regnat, qua nostri tunc vix callebant. Nostris quoque diebus Tschupru ad partem germanicam pertinet, ut etiam ex praedicta tabula geographica bene deducitur; loca enim vicina lingua germanica inscribuntur (Hangerried, Neumatt, Nuschels, Äbnet, Flüelen et alia multa); sed ultra rivulum Nesslerbach, quod vix 1 Km a Tschupru distat, regio incipit linguae francogallicae.

Magis itaque convenit, nomen loci illius exprimere secundum indolem ipsius regionis in quo iacet, id est hac forma: *Tschupru*; si vero praefertur adhibere formam francogallicam, videtur melius respondere scriptura *Tchoup(e)rou*.